



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae**

**Diertins, Joseph**

**Solisbaci, 1708**

Med. 9. Generis 1. De transgressoribus primæ Tabulæ scriptæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](#)

29  
I. HERDOMADÆ

præscripta, & dicamus cum Apostolo. 1. Cor. 9.  
*Castigo Corpus meum, & in servitutem redigo.*  
Tunc morienti leviores erunt dolores à tactu.

COLLOQ. Ad Christum in Cruce morientem,  
per dolores mortis ipsius petendo gratiam indis-  
ferentiaz, & bonæ electionis, & mortem felicem.  
RECOLL.

## MEDITATIO IX. G. I.

*De transgressoribus primæ tabulæ  
scriptæ.*

CONGRUA. De eo, qui sibi male conscius, de  
mandatis acceptis Registrationem dare debet.

PRÆL. I. Quomodo Exod. 19. & 20. Deus  
dederit mandata in tabulis scripta, cum terrore:  
*Ut terror illius esset in vobis, & non peccaretis.*  
Exod. 20.

PRÆL. II. Petere gratiam cognoscendi de-  
licta contra hæc mandata, & emendandi.

PUNCTUM I. MEM. Exod. 23. Filii Israël adora-  
verunt vitulum, & Ps. 105. Fecerunt vitulum  
in Horeb, & adoraverunt sculptile.

INTEL. Creatus est Homo, ut Dominum Deum  
suum laudet, ac revereatur, præcipua laus & re-  
verentia consistit in adoratione, & cultu latræ.  
Hunc cultum dederunt rei creatæ. Atque ecce  
poena: confractæ sunt tabulæ testimonii, cecide-  
runtque in die illâ, mandante Moysè, quasi vi-  
ginti

## MEDITATIONES.

49

*pinti tria millia hominum. Exod. 32. REFL.* Con sideremus, an nos quoque contra primum preceptum non peccaverimus certo modo: *hoc enim scitote intelligentes*, inquit Apostolus Ep. h. 5. *Quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, &c.*

*VOL.* Accusemus nos de ejusmodi Idolorum servitute, Deumque solum deinceps adoremus, estimemus, amemus super omnia, omnemque laudem ei tribuamus.

**PUNCTUM II.** MEM. Exod. 20. *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Mandatum secundum.

*INTEL.* Creatus est homo, ut Deum reverenter, cui maxime repugnat, irreverenter nomen Dei assumere, & blasphemare, meritò idē statutum est Lev. 24. *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur. Lapidibus obruet eum omnis multitudo, sive ille civis, sive peregrinus fuerit.* REFL. Inquiramus an per nos, vel per alios nomen Dei non afficerimus blasphemiam. Nam Apostolus Rom. 14. dicit: *Non ergo blasphemetur bonum nostrum.* Malè scilicet utendo cibo, & potu. & ad Tit. 2. præscribit prudentiam, castitatem, sobrietatem &c. *ut non blasphemetur verbum Dei.*

*VOL.* Excitemus zelum illam Dei irreverentiam, non modò in nobis, sed etiam in aliis impediendi.

**PUNCTUM III.** MEM. Præceptum 3. est. *Memento ut diem sabbati sanctifices. Exod. 20.*

*INTEL.*



INTEL. Creatus est homo, ut Deo serviens tandem salvus fiat. Servire est mandatis obtemperare. Num. 15. Quidam non obtemperarat, sed collegerat ligna Sabbato: & dixit Dominus ad Moysen: morte moriatur homo iste; obruat eum lapidibus omnis turba extra castra. REFL. Hinc concludamus, quia Dominicis & Festis, si umquam, fini nostro diligenter satisfaciendum est, graves pœnas post mortem subeundas, si diebus illis non servierimus Deo ex toto corde: & violaverimus præceptum.

VOL. Animos concipiamus, excitando primum nos, deinde alios ad bene Deo serviendum, obtemperando iis, quæ spectant ad hoc præceptum.

COLLOQ. Ad Christum Crucifixum, qui ut tam temporales, quam æternas pœnas à nobis removeret, tam diram mortem subiit: petendo gratiam, ut per pœnitentiam interiorem veræ contritionis, & exteriorem juxta Addit. 10. pro peccatis nostris potius in hac vitâ satisfaciamus.  
RECOLL.

## MEDITATIO X. G. II.

*De vulnere Ignorantiæ in intellectu.*

CONG. Cogitare quanta sit miseria hominis cœcutientis, & anxiè semper incidentis.

PRÆL. I. Aspicere animam nostram, in corporis tenebricoso carcere constrictam.

PRÆL. II. Petere gratiam, ut per pœnam ignorantiae, saltem in peccata non deducamur.

PUN-

metu

